



IOANNES ZIMISCES post occisum Nicephorum, Imperio est potitus. Insignis antea militari laude, omnes primò Nicephoro deditos è medio sustulit, & damnatos exilio à Nicephoro, reduxit. Basilium & Constantinum fratres Romani iunioris filios, Imperii consortes fecit. Contra Roxolanos, Sphensdolauorum rege ad deditiōnem coacto, victor, Constantinopolim reuersus, triumphantisque specie vrbi inuectus, honorificè à suis exceptus est. Sed paulò post infidiis cubicularii sui, qui lethale poculum non admodum potens aut subitum, sed quod lentè vires corporis corrumpere, & per pocillatorē largitionibus corruptum, propinandum dederat, periit, post Imperii annum v i. & menses v i.

In huius Numi altera parte adparet Seruatoris imago, cum ea inscriptione: **IESVS CHRISTVS REX REGVM.**

THEODORA Romani iunioris & Theophaniæ filia, Basilii & Constantini soror, Ioannis Zimiscis vxor.



OTHON II. Othonis Magni & Adelheidis reginæ Burgundiæ filius, viuente patre Aquisgrani Rex est declaratus, & Romæ inuict